



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1494 usque ad annum 1507

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118448**

§. 128. Papa Beneventi Ducatum Gandiæ Duci suo filio donare molitus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67025](#)

Sæcul. XV. tuas moneo, priusquam meus Rex religione  
A.C. 1497. prohibeatur ei favere, qui suis moribus uni-  
versum orbem Christianum fœdere, pravo-  
que vitæ exemplo multis exitio esse videtur.  
Recensuit præterea Consalvus sigillatim  
beneficia, quæ Rex Catholicus, ejus-  
que Prædecessores tam Alexandro, quam  
illius familiæ contulerant, pœstea plura  
alia adjecit Consalvus, ad quæ Pontifex,  
inquit Mariana, vicitus conscientia, & au-  
dacia hominis militaris perterritus, cui lo-  
quendi fiduciam misera temporum & morum  
conditio dabat, mutire non est ultra ausus.  
Malorum etiam colluvies, qua ex eo fonte  
orbis Christianus premebatur, Castellæ &  
Lusitanicæ Reges impulit, repetitis legatio-  
nibus Consalvi exemplo tantundem a Ponti-  
fice ut postularent (\*) nempe reformatio-  
nem Ecclesiæ in capite & membris.

## §. CXXVIII.

Papa Beneventi Ducatum Gandiae  
Duci suo filio donare molitus.

Marian. iv. Verum Consalvi declamatio, ac Prin-  
cipium monita adeo non Pontificis  
animum flectebant, ut etiam paulopost  
in quodam Secreto Patrum Senatu, ubi  
de

(\*) NB. Hæc ultima verba Continuator de  
suo addidit, quo consilio? prudens Lettor facile  
perspicet.



de Neapolitani Regni possessione Friderico Sæcul. XV.  
confirmanda agebatur, Beneventum Pon. A.C. 1497.  
tificiæ ditionis urbem a Patrimonio Ec-  
clesiæ avelli, ac Gandiæ Ducis filio suo  
cedi, audacter postulasset. Quidam fe-  
runt nonnulli, Pontificem animo consti-  
tuuisse, quod Neapolis Regibus tributum  
ab iis Sedi Apostolicæ quotannis bene-  
ficiario nomine pendi solitum, condona-  
re velit, ea tamen lege, ut Fridericus  
eundem Gandiæ Ducem Regni sui Prin-  
cipatu centum aureorum millibus pingui  
augeret. Verum Papæ consiliis obsta-  
bat ingens obluctantium frequentia;  
Garzias Lassus quoque Hispaniarum Re-  
gis Orator Papæ consilium vehementer  
indignatus, haud dissimulanter Beneven-  
tani Ducatus distractionem ab Ecclesiæ  
patrimonio improbabat, acrioribus ver-  
bis declarans, Regem suum nunquam  
concessurum, ut Ducatus iste a Sedis  
Apostolicæ dominio avulsus, cuicunque  
demum, aut sub quocunque prætextu  
donaretur; insuper habitis tamen omni-  
bus hisce obstaculis Alexander, suos di-  
tandi cupiditate delusus, nec æquitatis,  
nec rationis lege contineri patiens, rem  
omnino perfecisset, nisi ambitiosa Patris  
consilia funesta filii sui mors conturbasset:  
tragicum autem Ducis Gandiæ exitum  
Mariana his verbis describit.